



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 108. Petrus de Medicis Florentia profugus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

gabat, caussatus, se nuperrime foedus in-  
 iisse, eoque fidem suam obstrinxisse, quod  
 mox Neapoli expugnata, utramque ar-  
 cem nulli alteri, quam hodierno ejus  
 possessori redditurus foret. Ad hæc re-  
 spondit Ludovicus, eodem foedere Pisa-  
 nos quoque comprehendendi, quibus tamen  
 Rex libertatem mox concessisset: Ast  
 Carolus Duci in responsis dabat, quod a-  
 deo non hac agendi ratione Florentinæ  
 Reipublicæ jura violasset, ut etiam velut  
 obsidem tenuisset Pisanorum arcem, ean-  
 dem cum ceteris Urbibus quantocius Flo-  
 rentinis redditurus, quamprimum Galli-  
 ci exercitus securitas haud ultra illarum  
 possessionem exposcere videretur. Di-  
 splicuit Ludovico Regis responsum; spe-  
 rabat enim, se occupatis ambabus hi-  
 sce arcibus facili negotio Pisas quoque  
 in ditionem suam redacturum, ac demum,  
 quantum viribus valeret, Neapolitani  
 Regni expugnationem præpediturum.

## §. CVIII.

*Petrus de Medicis Florentia  
 profugus.*

Verum rei exequendæ difficultas plu-  
 rimum augebatur foedere, quod Ca-  
 rolus Rex cum Petro Medicæo pepi-  
 gerat; vi hujus enim ferme Princeps erat  
 ditionis Florentinæ, eaque occupata ut-  
 pote

Sæcul. XV.

A.C. 1494.

Comm. l. 7.  
c. 8.



Sæcul. XV.  
A. C. 1494.

pote potentissima facile adversos Principum Itatorum conatus eludere poterat. Ipsos quoque Florentinos haud diu latebat hæc rerum conditio summe periculosa, in quam eos Petrus Medicæus præcipiti consilio conjiciebat; quare non modo ob foedus iis inconsultis cum Francia initum, sed etiam ob ereptam sibi Pisanam urbem impotenti ira commoti, nil nisi vindictam spirabant, ac beneficiorum, quibus Medicæorum familia eorum Rempublicam cumulaverat, immemores, confestim in Petrum seditionem movebant, moxque turmatim ejus Palatium invadunt, portas effringunt, haud dubie ipsum quoque Petrum aggressuri, nisi eum, ut rebellium furorem declinaret, unacum tribus fratribus suis aufugisse comperiissent. Petrus a suis depulsus, Bononiam se recepit, brevi tamen Venetias se contulit, eoquod minus honorifice a Jacobo Bentivolio exceptus fuisset; credebat enim, quod Petrus Medicæus propria morum perversitate sibi hanc calamitatem accersivisset. Ceterum Petrus Venetias appulsus primo exscendere prohibitus est; haud quippe Venetos latebant clandestina, quæ cum Papa & Neapolis Rege fovebat, consilia: Postquam vero a Caroli Regis Legato edocti essent, Florentinorum ausus non nisi ex populari seditione natos, illisque Gallos minime



minime suffragatos esse, tandem Petro Sæcul. XV. A.C. 1494.  
urbis suæ asyllum, victumque præbebant, 1494  
haud ultra malorum memores, quibus  
olim Cosmas Medicæus ejusdem Proa-  
vus Venetos vexasset.

## §. CIX.

*Petrus Florentiam reverti ab amicis  
rogatus.*

Ad honestandam seditionem Florentinis  
jam satis grave videbatur crimen,  
quod Medicæi Florentia aufugissent; un-  
de illos velut publicos hostes insectan-  
tur, eorum vitam proposito occisoribus  
præmio addicunt, bona ipsorum proscri-  
bunt, palatium totius Europæ longe ma-  
gnificentissimum diripiunt, statuas pene  
innumeras, picturas, libros, numismata,  
quibus abundabat, dispergunt, ac diffi-  
pant, eorumque scrinia in frustra con-  
cidunt: Nec tamen cunctis hisce furen-  
tis populi insolentiis Petri fautores, quo-  
rum plurimos Florentiæ numerabat, a-  
nimo franguntur, sed omni ope, & opera  
eundem pristino honori restituere adla-  
borant, ut vero consiliis magis expeditus  
adspiraret successus, suis studiis devovent  
Philippum Bresciæ Comitem Sabaudia  
Ducis patrum, qui apud Carolum Re-  
gem plurimum gratia, atque auctoritate  
valebat: Hic ergo Regi exponit, quod  
*Hist. Eccles. Tom. XXX. Qq Pe-*